





SACRA SAECULARIA
REGII GYMNASII ERLANGENSIS

ANTE HOS CENTUM ANNOS

CONDITI

DIE XIV. MENS. IUL. A. MDCCCXLV

PIE CELEBRANDA

INDICUNT

GYMNASII RECTOR ET COLLEGAE

PRAEFANTE

D. CHRISTIANO GUILELMO IOSEPHO CRON,

PRAECEPTORE.

INEST COMMENTATIO

DE LOCO POETICAE ARISTOTELEAE, QUO EURIPIDES POETARUM MAXIME TRAGICUS DICITUR.

ERLANGAE,

TYPIS BARFUSIANIS MDCCCXLV.

Gift of
Mrs. [illegible] [illegible]
Camb.

Cum factum sit, ut ad me deflueret munus sacris saecularibus Gymnasii nostri propediem celebrandis praefandi, collegis, quorum nomine hoc facio, per alias occupationes distentis, temporum angustiis, quibus premor, vix uno ultra triduum mihi concesso die, in eam necessitatem me redactum video, ut omisso pleniore quodam et digniore qui hac solemni occasione in publicum prodiret philologiae nostrae loco, satis habeam, per compendia quasi viae ad finem propositum tendere.

Elegi de quo commentarer locum quendam poëticae Aristoteleae, de quo libro quum diversissima esse hominum doctorum judicia non ignorem et his recentissimis etiam temporibus exstiterint*), qui Aristotelis auctoritatem infringendam sibi esse ducerent, ego me eorum sententiae accedere profiteor, qui non caeca quidem admiratione abrepti sed argumentorum elegantia et rationum acumine commoti, illum librum quamvis temporum casusve injuria misere habitum **) plurimi faciant et ejus auctoritati aliquid tribuant.

---

*) Significo virum ingeniosum et eleganti doctrina conspicuum, qui in Annalibus literariis Berolini editis eorum, quae Roetscherus ad artem dramaticam pertinentia scripsit, censuram faciens, sine causa mihi Aristotelis judicio officere videtur, de qua re alio loco expositurus, nunc plura dicere supersedeo.

**) Doctissime et accuratissime de ea re exposuit Leonardus Spengelius in disputatione quadam, Actis Academiae literariae quae Monaci floret inserta, qui vir, plenissima scriptorum

Inde fit, ut etiam ubi in locum inciderimus, qui animum nostrum suspensum habeat et dubium, quam in partem judicium inclinemus, non protenus inique de eo statuamus sed circumspiciamus rationes, quae ad diluendam rei difficulatem idoneae esse videantur.

Plurima hujus generis inesse video in ea parte libri, quae est de fabulae compositione, in qua Aristoteles primarium poëtae opus positum esse censet; neque eximo ab eorum numero eum locum, quo Euripidi principatus quidam inter poëtas tragicos assignari videtur. Legitur is in capite tertio decimo, ubi Aristoteles pulcherrimam fabulam eam esse statuit, in qua rerum conversio sit a fortuna bona in fortunam malam. *Διό*, inquit, *καὶ οἱ Εὐριπίδῃ ἐγκαλοῦντες τὸ αὐτὸ* (? Herm. *αὐτοί*) *ἁμαρτάνουσιν, ὅτι τοῦτο δρᾷ ἐν τοῖς τραγῳδίαις καὶ πολλαὶ αὐτοῦ εἰς δυστυχίαν τελευτῶσιν· τοῦτο γάρ ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὀρθόν· σημεῖον δὲ μέγιστον· ἐπὶ γὰρ τῶν σκηνῶν καὶ τῶν ἀγώνων τραγικώταται αἱ τοιαῦται φαίνονται, ἂν κατορθωθῶσιν, καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.* Nescio an quisquam inventus sit, qui simplicem hoc loco atque meram Euripidis laudem contineri sibi persuaderet, in quam sententiam eum tantum se insinuare posse apparet, qui verba non accurate perlegerit sed obiter inspexerit vel fando audiverit, et cupidius quam cautius judicare consueverit. Vetant enim quum alia tum continuo cum illis in quibus Euripidis laus versatur conjuncta haec: *εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ*. Cavendum tamen etiam hoc, ne plus aequo de Euripidis laude

---

Aristoteliocorum doctrina instructus utinam hunc librum a se adornatum et quantum fieri potest in ordinem redactum edere velit, omnibus qui his literis operam dant, gratum facturus, nisi forte Maximilianus Fuhrius, quem ejus editionem parare cognovi, consilia cum illo communicaturus est. — Confitendum mihi etiam est hoc loco, me earum editionum, quae post Hermanni operam prodierunt, praeter Bekkeri editionem minorem nullam ad manum habuisse, quod benigni lectores ut aequi bonique faciant, oramus.

haec verba detrahere existimemus. Restant enim satis magna ea ipsa, quibus Euripidem philosophus poëtarum maxime tragicum dicit et contra aliorum quorundam reprehensionem defendendum suscipit. Qui igitur recte de toto loco judicare velit, eum primum vocabuli τραγικός vim et significationem perpendere, deinde vero ad sententiarum cohaerentiam diligenter animum advertere oportebit.

Vocabulo τραγικός quadem inesse velit Aristoteles notionem, quum ex aliis locis tum ex iis, quae cum hujus ipsius, de quo nunc nobis res est, rationibus arcte conjuncta in eodem capite leguntur, clare elucet. Ubi enim eam fortunae commutationem, quae tragoediae vicibus minime conveniat, designare vult, οὐδὲν γὰρ, inquit, ἔχει, ὧν δεῖ· οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερόν ἐστιν. Vides tria esse, quae ex Aristotelis sententia tragoediae fabulam habere deceat, ut *metum* et *miserationem* excitet atque cum *humanitatis sensu* conveniat. Et *miserationem* quidem ejus esse statuit, qui indigna sorte affligatur; *metum* vero eum incutere dicit, qui simili cum nobis rerum conditione utatur; neque quid sit φιλάνθρωπον nos fugere potest, quum hujus rei vim in improborum supplicio cerni, in eorundem vero secundis rebus quam maxime desiderari meminerimus; ex quo apparet, circa eandem fere rem eam versari, quam nos dicimus justitiam poëticam. Postulat itaque Aristoteles, poëtae consilium ne declinet ab ea naturae nostrae insita aequitate et justitia, in qua humanitas conspicitur. Quodsi constiterit, quod in dubiam vocari nequit, tres illas notiones uno vocabulo τραγικός comprehendi, non parvam quandam neque vilem sed magnificam laudem contineri apparet iis verbis, quibus Aristoteles Euripidem poëtarum maxime tragicum videri dicit. Quid vero de Aeschylo et Sophocle faciemus? num hos tragoediae muneri minus satisfecisse? horum fabulas ad miserationem metumque excitandum et tangendum humanitatis sensum minus accommodatas esse dicemus? Exstitit quidem nuperrime, qui Euripidis patrocinium adversus judices iniquos ita susciperet, ut simul famam illorum lacerare summopere conaretur, quo videlicet tutius ei, quem ardentissimo studio amplecteretur, palmam deferret. Sed vereor, ut

multos nanciscatur sententiae suae subscriptores. Jam vero res eo perducta esse videtur, ut qui de Aristotelis dicto illo recte judicare velint, facere non possint, quin trium principum poëtarum tragicorum quae servatae sunt fabulae, eas omnes ad artis praecepta ab Aristotele tradita explorent et ita exquirant, cui potissimum palma debeatur. A quo negotio, quippe quod majoris et ambitus et operis sit, utique nobis nunc quidem abstinendum et de re imperfecta decedendum foret, nisi in tempore subiret recordatio, nondum nos eas muneris partes implesse, quae in orationis et sententiarum continuatione excutienda positae sunt; ad quas protenus me confero.

Distinguit Aristoteles *simplicem* et *implicatam* fabulae compositionem, et *implicatam* eam dicit, quae rerum conversionem aut ex fortuna bona in malam aut ex mala in bonam habeat. Omitto quae de moribus ejus personae, in qua fortunae commutatio conspicitur, adjungit, quod iis quae locum indicatum et a me supra positum continuo praecedunt, Aristoteles ad illam sententiam, qua de ipsius *περιπετείας* variis rationibus explicat, revertitur, dicens: *ἡ μὲν οὖν κατὰ τὴν τέχνην καλλίστη τραγῳδία ἐκ ταύτης τῆς συστάσεώς ἐστιν*, eam fabulae compositionem intelligens, quae fortunae commutatione in res tristiores utitur. Haec qui reputaverint, iis non maligne sed sobrie judicare videbitur is, qui primus hunc librum elegantiore commentario instruxit, Euripidem ab Aristotele eo nomine laudari censens, quod plurimas ejus generis composuerit fabulas, quae infelici exitu conspicuae essent, quamvis in hoc longius procedens, quod vocabulo *φαίνεται* insistens significare videtur, totam eam laudem Euripidi impertitam ex spectatorum judiciis pendere; nam hoc certe loco Aristoteles, qui infra quidem theatrorum imbecillitatem reprehendit, judicium suum cum spectatorum studiis prorsus consentiens formavit; neque leve hoc vel parvae laudis esse vult, quod pertinet ad eam poëseos tragicae partem, quam primariam esse judicat Aristoteles; quamquam his concessis non continuo efficitur, qui huic muneris parti optime satisfecerit, eundem poëtam praestantissimum esse; immo valde vitiosus esse potest, si vel in moribus effingendis vel in sententiis explicandis labi consueverit. Sex enim partes

poëseos tragicae ponit Aristoteles, omittens eam, quam rhetores *dispositionem* dicunt, quia scilicet cum fabulae inventione conjunctam esse vult, quarum quam potissimum in animo habeat, Euripidem in reliquis minus feliciter versari dicens, non hujus loci est quaerere. Redimus eo unde deflexímus; nondum enim nobis constat sententia de illo loco, et utique dolemus, quod Hermannus brevius quam velis opere defunctus est. Nam sive magna sive parva laus est quam Aristoteles Euripidi tribuit, nos quidem poëtae eam non inviderimus, modo veritas constiterit, cujus nos amantiores esse oportet quam Euripidis. Miror itaque, quod me quidem sciente nemo adhuc in animum induxit, eas tragoedias, quae ex tanto naufragio nobis superstites sint, levi saltem oculo perlustrare et exquirere, num forte computatione facta verisimile reddatur, Euripidem artis aemulos ejusmodi fabularum compositione, quae infelici exitu uteretur, superasse. Mihi enim comparatione instituta hoc minime effici videtur. Non ignoro, relinqui magnum illum numerum tragoediarum, quae interierint, quarum quae servata sunt fragmenta nunc quidem mihi non datur ut recenseam et ad hunc usum explorem, quamvis qui post utilissimam Welckeri et Matthiaei operam recentissimis temporibus duumviri doctissimi, **Hartungus** et **Wagnerus**, alter in fabularum argumentis enarrandis et divinandis, alter in ipsis poëtae verbis excutiendis et explicandis elaboraverunt, faciliorem et amoeniorem reddiderint aditum; neque vero, si ad conjecturam confugere licet, aliud quid effici crediderim quam quod ex superstitibus fabulis colligi potest. Hoc quodammodo probabile fit eo, quod sunt testimonia, ex quibus cognoscimus, ab Euripide adeo ejusmodi fabulas, quae apud Sophoclem per medias mortes ad plenum luctus et moeroris exitum perducuntur, velut Antigona, immutatas et conversione in res latiores donatas esse. Quare hac quidem via progredientibus nobis vix continget, ut hoc Aristotelis de Euripide dictum difficultate qua premitur liberemus et ad veram ejus intelligentiam perperveniamus. Neque defuerunt, qui, quum una cum Aristotelis auctoritate Euripidis praestantiam prodere dedignarentur, relictis Aristotelis verbis, aliis vestigiis insisterent. Praeivit **Lessingius**, cui praeter alia decora etiam hoc a philologis laudi tribuendum

Μήδειαν· ἔστι δὲ πρᾶξαι μέν, ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινόν, εἶθ᾽ ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν, ὥσπερ ὁ Σοφοκλέους Οἰδίπους· τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος, ἐν δ'αὐτῇ τῇ τραγῳδίᾳ, οἷος ὁ Ἀλκμαίων ὁ Ἀστυδάμαντος ἢ ὁ Τηλέγονος ὁ ἐν τῷ τραυματίᾳ Ὀδυσσεῖ. Hic locus egregie sententiae modo propositae succurrere mihi videtur, simulque ita comparatus esse, ut scribendi rationem, qua Aristotelem subinde uti videmus, exemplo luculento ostendat. Scripta sunt haec in eorum potissimum usum, qui illa aetate tragoedias faciebant, quibus praecipit Aristoteles, traditas fabulas ne ita immutare velint, ut earum ratio prorsus pervertatur, velut si Clytaemnestra vel Eriphyle mortem effugeret, sed aut traditis recte uti, aut novas invenire malint, cujus rei exempla proponit. Quos hoc loco veteres dicit, Aeschylum et Sophoclem cum Euripide intelligendos esse apparet, quibus hic quoque Euripidis exemplum adhibetur. His ex adverso ponere debebát posteriores quosdam, aut laudaturus aut vituperaturus; sed ingruente memoria, Oedipodis Sophoclei rationem magis cum his recentioribus conspirare, quamvis non prorsus consimilem esse, hujus protenus mentionem injicit, deinde demum posteriores illos nominaturus. Ceterum de loci sententia recte mihi judicare videtur Welckerus in iis quae posuit p. 1057 ejus libri, quem de tragoediis Graecis cum epico cyclo collatis scripsit; in eo quoque probandus, quod monet, ne despiciamus eos poëtas, qui post Euripidem et Sophoclem scenam sustentarint. Nam horum quoque aliquam laudem esse, quum ex ipsius rei probabilitate, literarum flore illa aetate ad summum fastigium elato, tum vero ex hoc ipso aliisque hujus libri locis, quibus Aristoteles posteriorum poëtarum mentionem facit, colligi potest. Nam tantum abest, ut Aristoteles, quae Koepkii, qui de hac re scripsit, sententia est, Astydamantem et Chaeremonem (hunc enim recte intelligi puto, et multo quidem rectius quam Sophoclem cujus hoc loco mentio esse nequit) vituperaverit, ut utrumque, praecipue vero Astydamantem maxima laude ornaverit, quippe qui fabulam a principibus poëtis tractatam nove et bene et adeo melius illis composuerit. Hoc loco comparato id nobis effecisse videmur, ut jam probabilius fiat, illo quoque altero,

cujus novam proponere hominibus literatis explicationem in animum induximus, Aristotelem aequalium suorum usibus consuluisse, et si qua insit dictionis indiligentia, ea ne ab hujus libri ratione aliena videatur.

Propositum erat, quaedam adjicere de ea quaestione, rectene Aristoteles judicarit, illam fabulae compositionem, quae in res miseras funestasque desineret, praeferendam esse ei, quae contrario statu uteretur; sed inhibente typographo satius est transire ad eam muneris suscepti partem, cujus causa haec praefati sumus, quae si homines eruditi et harum literarum curiosi non plane a re disputata esse judicaverint, omnia quae sperare poteramus assecuti esse et tumultuariae opellae pretium fecisse nobis videbimur.

Quem initio instare significavi diem laetum, quo centum abhinc annis Gymnasium nostrum inauguratum et Friderico-Alexandrinae modo conditae rebus adjunctum est, eum die quarto decimo hujus ipsius mensis cum piis votis et grata rerum nostrarum recordatione celebratum imus. Quorum solemnium ut in communionem nobis venire et Deo optimo maximo, cujus beneficio hucusque res nostrae servatae et Regis augustissimi et clementissimi auspiciis auctae sunt, una nobiscum grates persolvere et pia vota nuncupare atque ad orationes recitationesque audiendas nobis interesse velint, primum Universitatis Prorectorem magnificum una cum Professoribus atque Doctoribus spectatissimis, omnes hujus urbis Primores, Magistratus, summe reverendos, illustrissimos, amplissimos, suis quemque muneribus atque titulis ornatos, deinde omnium ordinum Cives, juvenum nostrae disciplinae commissorum Parentes, omnes denique, qui juventuti artibus bonis erudiendae favent aut nobiscum muneris societate conjuncti student, rogamus invitamusque. Neque veremur, ne a Vobis repudientur preces nostrae. Quamvis enim nondum effluxerit ex animis nostris dierum festorum ante hoc biennium summa cum celebritate in hac Urbe actorum recordatio, quorum splendori et magnificentiae rerum nostrarum tenuitatem et mediocritatem comparare nec volumus nec possumus: tamen Vos, scientes et expertos, quantum valeat recta puerorum et juvenum

nstitutio ad artes et doctrinas, quarum praesidium et decus apud Universitates constitutum est, penitus imbibendas et pernoscendas, ne parvas quidem has nostras res, quarum mox Vobis proponemus enarrationem, despecturos esse confidimus.

Scripsi Erlangae d. X. Jul. MDCCCXLV.